

Textanhang:
Rekonstruktion der Vorlagen für die Kapitel III-VI
und I-II

A] Edikt Nr. 1. Die Sitzordnung der Kurfürsten
(der „Kern“ der Goldenen Bulle)
[Kapitel III, IV § 1, VI]

Decor et gloria sacrosancti Romani imperii et honor cesareus et reipublice grata compendia venerabilium et illustrium principum electorum concordi voluntate foventur, qui velut columpne proceres sacrum edificium circumspecte prudentie solerti pietate sustentant, quorum presidio dextra imperialis potentie roboratur, et quanto mutui favoris ampliori benignitate stringuntur, tanto uberioris pacis et tranquillitatis commoda feliciter profluunt populo Christiano.

[1] *Ut igitur inter venerabiles .. Maguntinensem .. Coloniensem necnon .. Treverensem archiepiscopos sacri imperii principes electores omnium litium et suspectuum [materie], que et qui de prioritate seu dignitate sessionum suarum in curiis imperialibus et regalibus suboriri valerent imposterum, perpetuis inantea temporibus amputentur, et ipsi in cordis et animorum quieta conditione manentes de oportunitatibus sacri imperii concordi favore et virtuose dilectionis studio convenientius meditari valeant pro consolatione populi Christiani, habita deliberatione cum omnibus principibus electoribus tam ecclesiasticis quam secularibus et de ipsorum consilio decernimus et de imperatorie potestatis plenitudine hac edictali lege perpetuo valitura sancimus, quod supradicti venerabiles archiepiscopi, Treverensis videlicet ex opposito et lineari directione versus imperatoris faciem, Maguntinensis vero in suis diocesi et provincia et extra provinciam suam in toto cancellariatu suo Germanico, provincia Coloniensi dumtaxat excepta, et demum Coloniensis in suis diocesi et provincia et extra provinciam suam in tota Italia et Gallia in dextro latere Romanorum cesaris sedere possint, valeant et debeant in omnibus publicis actibus imperialibus, puta iudiciis, collationibus feudorum et in refectio-nibus mensarum ac eciam in consiliis et omnibus aliis agendis, propter que contingit seu continget eisdem pro honore seu utilitate imperiali tractandis mutuo convenire.*